DE

VARIIS TINEAE CAPITIS SPECIEBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXVIII. M. MARTII A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS OVERKAMP

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

H. EULENBERG, MED. ET CHIR. DR.
E. LIESE, MED. ET CHIR. DR.
E. STEILBERG, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

DOCTISSIMO, PERITISSIMO,
CLARISSIMO

F. L. TRUESTEDT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. E. IN UNIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICA GUILELMA, BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS SUPREMIS INTIMIS, COLLEGII SUPREMI AD REGENDAS RES SACRAS, MEDICAS ET INSTITUTIONEM PUBLICAM, NEC NON COLLEGII EXAMINUM HABENDORUM SUPREMI MEMBRO, POLICLINICI INSTITUTI DIRECTORI, ORDINUM REGIORUM DE AQUILA RUBRA ET CRUCE FERREA EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI
ETC. ETC.

PRAECEPTORI SUMME VENERANDO

NEC NON

VIRO

OPTIMO, AD CINERES USQUE COLENDO

GEORG. EGBERTO BRONS,

SACERDOTI CATHOLICO PASTORIQUE METTINGENSI,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

L. S.

Morbi cutis chronici recentiori potissimum tempore medicorum animos in se converterunt, atque eo gavisi sunt cultu, ut studium eorum, antea taediosum, nunc maximo cum gaudio suscipi possit. Praecipue vero juveni, cui, academico cursu vix absoluto, magna rerum medicarum experientia deest, haec pathologiae pars arridere debet, quum ea, quae de affectionibus cutis legit vel audit, facillime observare possit.

Ut igitur legi medicorum ordinis satisfacerem, earum cutis efflorescentiarum species describere conatus sum, quae caput occupantes illum morbum constituunt, qui tineae nomine notus est. Systema praecipue secutus sum illud, quod a viris celeberrimis Willan

et **Biett** nobis traditum est; quum autem in policlinico, cui vir illustrissimus **Truestedt** praeest, optima mihi fuerit occasio, varias tineae formas observandi, et egregias de iis doctrinas audiendi, non dubitavi, ubi aliquid inveni, quod observationi meae non conveniret, illorum virorum opinionibus repugnare.

Num autem ad verum propius accesserim, indulgentiae lectoris sit relictum, quem iterum iterumque rogo, ut benevole judicet tironis libellum.

Ut efflorescentiae cutis chronicae, quae veteribus nomine „impetigines" notae erant, ad nostrum usque tempus tam parum distinguerentur, praecipue eo factum est, quod medici producta earum magis respiciebant, majorisque momenti habebant, quam formas primarias. Morbi cutis acuti (exanthemata), qui regulari gaudent decursu, certis fere semper nuntiantur prodromis, et raro sporadici inveniuntur, mox a medicis stricte dignosci poterant. Aliter vero res sese habebat de impetiginibus, quae sine febre intrant, et nec aegrotum nec medicum prius offendere solent, quam elapso jam illo tempore, quo ab aliis discerni potuerint. Maxima vero difficultas medicis erat in dignoscendis iis efflorescentiis, quae cutem in iis partibus corripiunt, ubi crinibus obtecta est. Ibi enim plerumque tam celeriter turbantur, ut mox nihil cernatur, quam sqamae, crustae et ulcera. Huc accedit, quod jam ab antiquis inde temporibus efflorescentiae in capite ab iis, quae in aliis corporis partibus sedem habent, valde alienae habebantur, ita ut vel nostri aevi Autor (Alibert) morbos cutis in

eos dividere ausus sit, qui caput obtineant (teignes), et eos, qui ceteras corporis partes occupent (dartres). Postquam vero vir celeberrimus Willan earum praecipue cutis efflorescentiarum formas primarias accuratius investigavit, quae vesiculas atque pustulas nobis ostendunt, ex observationibus illustrissimi Biett videmus, tineae quoque species partim ad illas reduci posse, quamquam negari non potest, ex peculiari sede differentiam esse aliquam et quod faciem attinet et decursum. Nunquam igitur contendere possumus, eandem cutis efflorescentiam, quae nunc cranium tegit, eandem nobis praebuisse formam, si aliam corporis partem occupasset. Quanti enim momenti sedes morborum cutis sit in formam, saepe videre licet, ubi in membri cujusdam latere extensorio papulae atque vesiculae, in flexorio simul pustulae obveniunt; nemo vero, hac ex causa morbos cutis secundum sedem dividere conabitur. — Contemplans igitur varias tineae capitis formas eas primum commemorabo, quae et in aliis partibus obveniunt, et tum eas, quae cuti cranii propriae esse videntur.

I. EFFLORESCENTIAE, QUAE, SI CRANII CUTEM OCCUPANT, TINEAE ALIQUAM FORMAM CONSTITUUNT.

Quamquam in infantibus magna ad varias cutis efflorescentias dispositio est, et caput potissimum laborare solet, exanthemata tamen raro in cranii cute tam perspicua cernuntur, quam in ceteris corporis partibus, et ple-

rumque in scarlatina, morbillis et cet. in cranio nihil invenitur, quam squamae, aut aliae efflorescentiae chronicae. Causa hujus rei potissimum mihi quaerenda est, quod cutis arcte super cranium tensa est et exiguus ei tantum subjacet panniculus adiposus. Ex exanthematis igitur tineae formas constituere nequimus, sed chronicas modo efflorescentias tangemus, quae nobis sub forma squamularum, papularum, vesicularum et pustularum sese ostendunt.

1. Squamae.

Illa tineae forma, quam nomine tineae furfurantis descriptam invenimus, non solum ex iis efflorescentiis originem ducit, quarum primaria forma squamas nobis ostendit, uti Pityriasis, Psoriasis et Lepra; sed papulas quoque huc annumerandas credo, quae tum demum conspiciuntur, quum epidermis jam soluta est. Saepe enim videre licet lichenem strophilum in facie infantis, simulque capillos squamulis obsitos, quos si disjungis, mox papulas vides. Talia in adultis quoque observantur (1).

Num vero etiam prurigo in capite obveniat, nec scio, nec credo, quod haec effloressentia partes vestimentis obtectas amat, et rarissime in infantibus observatur. Scabies nunquam caput occupat.

(1) Imprimis credo illam formam capitis cutem saepe vexare, quae a Willan sub nomine lichenis pilaris describitur. Haud raro enim crinis singulus circumdatur squamula, disci formam praebente, unde concludi licet, papulam quoque pili radicem circumdasse.

Pityriasis, in qua sola desquamatio observatur, duplici modo sese ostendit, aut enim per totam fere vitam permanet sine aliqua molestia, aut cum aliqua cutis mutatione cohaeret. Sic in infantibus saepe observatur eo tempore, quo crines valde augentur, et in senibus, quo crines delabuntur. Praeterea desquamatio cutis in capite cujusque morbi febrilis, praecipue exanthematum comes esse solet.

Psoriasis interdum a normali decursu vix abhorret. Desquamatio ut in pityriasi, sed uti recte monet Alibert, remotis squamulis cutis paullulum tumens colorem nobis praebet roseum, nitidum quasi vernice obductum.

Saepe vero psoriasis aliam habet formam. Cutis enim non semper squamulis sed tenuibus interdum crustis obtecta est, quamvis in ceteris corporis partibus squamulae obveniant. Si inflammatio chronica, quae in psoriasi tumore et rubore sese ostendit, eam partem occupat, ubi crines cutem tegunt, et magna vasorum (praecipue venarum) copia eam permeat, facile massa exsudatur fluida mox congelans, unde crustarum est formatio, quarum particulae uti furfures solvuntur. — Pityriasis igitur, Lichen et Psoriasis constituunt tineam furfuraceam, cujus cognitio autem saepe ex affectione cutis in iis partibus, ubi pilis non obtecta est, hauriri debet. Inter crines enim raro contingit, formam primariam cognoscere, quum defurfuratio in omnibus eadem sit conditione.

2. Vesiculae.

Ex vesiculis quoque una tantum forma nobis restat ad constituendam tineae speciem, Eczema nempe chronicum. Haecce forma saepe capitis cutem occupat, et aut totam obducit, aut partem tantum posteriorem. Vesiculas vero integras inter capillos videre raro licet, quanquam in circuitu vel in locis, ubi crines desunt, saepe perspicuae sunt. Attamen, si hocce etiam ita non esset, forma secundaria faciem nobis praebet valde peculiarem, ut difficillimum sit, eczema capitis cum aliis tineae speciebus confundere (1). Cutis cranii nempe crusta tegitur cohaerente, tenui, quasi medium tenente inter squamas et crustas, coloris magis ex fusco griseo quam flavo, superficie laevi, plana, et splendore argenteo vel asbestino, squamulas nitentes demittente. Crines interdum sicci sunt, saepe vero madent, praecipue si crusta aliquo loco perrupta est. Remota enim crusta cutem subjacentem leviter rubentem et magna seri albidi copia humefactam videmus. Ceterum neque pruritus, neque dolor aegrotos vexare solet.

Plerumque eczema chronicum infantes corripit a sexto usque ad duodecimum annum, quorum cutis lurida, crinis fuscus, et habitus scrophulosin demonstrat torpidum.

---

1) Quamquam in opere Cel. Biett eczematis varia genera perbene tractata sunt, vix tamen eczema capitis commemoratur, quod eo magis mirandum mihi videtur, quum in policlinico, cui vir Ill. Truestedt praeest, persaepe hanc tineae speciem observandi nobis occasio detur.

In libris plerumque eczema capitis chronicum nomine tineae asbestinae seu amiantaceae descriptum legimus, sed ex symptomatis modo narratis satis clare sequitur, illam omni modo exzemati respondere.

Ceterum eczema duas nobis ostendit varietates, modo enim magis siccum est, et formis squamosis similius, modo magis humidum, et si cutis aliquo modo irritatur, materiam magis purulentam secernit, unde similitudinem aliquam accipit cum iis speciebus, quarum originem pustulae repraesentant (1). Hoc in casu eczema in ulcera quoque abire potest, quamvis plerumque exsiccatione sanetur. Crines vero nunquam delabuntur, nisi fortuito cutis sub crusta exulceretur.

3. Pustulae.

Pustulas apud Celsum et alios auctores omnes fere cutis efflorescentias nominatas legimus (2), praeter eas, quae caput tegunt, quas Celsus porriginem vocat. Hanc enim tractans differentiam solum constituit, quod interdum squamulae madeant, vel (multo saepius) siccae sint, modo cum exulceratione conjunctae sint, modo sine ulcere inveniantur, vel male oleant vel odorem non habeant. Praeterea dicit, illud genus sycoseos, quod ulcere inaequali et humido formetur, capillum praecipue corripere (3).

---

(1) Eczema impetiginodes (?)
(2) Celsi de med. lib. V, Cap. 28, §. 15.
(3) Cels. lib. VI, Cap. II. et III.

Quum vero nostro tempore nomen pustulae arctius definitum sit, et iis solum efflorescentiis adtribuatur, quae pus continent, tineae quoque speciem ex pustulis oriri videmus. — Diviserunt pustulas secundum inflammationis gradum et magnitudinem earum in phlyzacia et psydracia, quorum priora in cranio non inveniuntur, quum cutis in ea parte tensio atque exiguus panniculus adiposus, qui ei subjacet, pustulae illius, quam Ecthyma vocamus, formationem non admittant. Praeterea pustularum quae tineam formant, duo discernuntur genera, achores nempe et favi. Favi a ceteris formis facile discerni possunt, et peculiarem tineae speciem constituunt, quam infra describam; achorum vero limites in libris accurate definiti non sunt, quum omnibus tineae formis praeter favosam attribuantur.

Ex pustulis illis minoribus, quas psydracia vocant, illae tantum tineam formant, quarum decursus chronicus est, impetigo nempe et acne (si alias pustulis adnumeranda est). Acne, quae sub varia forma occurrit, praecipue amat faciem et superiorem dorsi partem. Saepe vero inveniuntur crustae in inferiore occipitis parte, dum acne cervicem occupat. Pustulae vero, si inter crines inveniuntur, ab iis non differunt, quas impetigo nobis ostendit, et crustae quoque eandem nobis praebent faciem. Itaque non magni momenti erit, utrum illa tineae forma, quam nunc describam, impetigini, an interdum acnae adtribuatur.

Modo in hac modo in illa parte cranii pustulae ob-

servantur, magnitudinem lentis vix superantes, colore flavo, halone exiguo subrubro circumdatae. Celeriter inter crines rumpuntur, et materia puriformis profluit, unde crustae formantur ex flavo viridescentes, satis crassae, superficiem inaequalem habentes. Facillime vero confluunt pustulae, unde accidit, ut singulae cranii regiones crustis omnino tegantur. Semper vero particulae crustarum solvuntur et inter crines pendent, quae non planam, ut in tinea furfuracea vel asbestina; sed irregularem habent formam, unde factum est, ut illa forma impetiginis, ubi pustulae non confluunt (mitior species) impetigo granulata vocaretur, quae vero ab alia tineae forma bene discernenda est, quam infra describam.

Impetigo praecipue vexat infantes qui decimum aetatis annum nondum excesserunt, cuti tenera gaudent, et large nutriuntur. Capillus nisi malum per longum tempus durat, non delabitur, neque odorem peculiarem nobis praebet, nisi magna puris copia sub crustis diu haeret. Ceterum impetigo plerumque facile tollitur.

Tinearum species hucusque tractatas apud varios auctores nomine tinearum benignarum vario modo descriptas invenimus, et re vera non sunt malignae, nisi neglectae latius sese extendant, et profusis secretionibus corpus debilitent. Efflorescentiae, quarum secreta squamulae sunt, diutinum quidem semper fere obtinent decursum, et sero sanantur, eo minus vero aegrotum vexant et sine aliqua molestia per totam vitam ferri possunt. Maximum in-

commodum, quod ex iis oriri solet, est extenuatio et delapsus pilorum. Si enim defurfuratio altum assequitur gradum et per longum tempus durat, epidermis in cranio hypertrophia laborare solet, et sub ea inflammatio cutis chronica exoritur, qua sacculi bulborum quasi removentur et delentur. Praecipue in psoriasi delapsus pilorum animadvertitur.

Tinea e vesiculis vel pustulis orta non ita diutinum habet decursum, sed eo magis aegrotum pruritu et secretione vexat, praecipue si partes scabendo irritantur, et crustae atque pediculi, quorum saepe ingens copia inter crines oriri solet, et cutem irritat, non removentur. — Crines in his formis, si negliguntur, plerumque exulceratione delabuntur, et postea peculiaris nobis praebetur facies. Capilli nempe tenuiores, candidiores et magis sparsi conspiciuntur, et inter eos colliculi singuli nos offendunt coniformes, pisi magnitudinem vix superantes, fusci, squamulisque albidis obtecti, quae in circuitu quoque cutem tegunt, et magna copia ab ea dissolvuntur, sine omni vero fluidi cujusdam secretione.

Haec peculiaris tineae forma exitus esse potest, et illius, in qua jam initio defurfuratio erat, si ex irritatione praeter squamulas in singulis folliculis massa secernitur, illas conglutinans, et illarum tinearum, quae ex vesiculis vel pustulis ortum duxerunt, si, remotis irritantibus, atque cura adhibita, secretio fluidi quidem cessit, intumescentia et inflammatio autem remanent, quae desquamationem illam nutrit.

Quod si ita est, anamnesis originem nobis declaret necesse est, sed ab illis tineae formis, quae nomine malignarum descriptae sunt, mox discerni potest, quod cutis non penitus corripitur.

Certos vero limites hac in re ducere non possumus. Etenim si, quod dyscrasiam spectat, quae tineis modo descriptis subest, praecipue scrophulosin accusare coacti sumus, concedere tamen debemus, hanc benignitatis varios habere gradus, et absque dubio difficillimum esse, accurate definire, quousque tinea scrophulosi vel alii dyscrasiae attribuenda sit. Persaepe enim nullum nos offendit symptoma morbi, praeter efflorescentiam, et hoc in casu saepe quidem audimus, eam esse quasi curam naturae prophylacticam contra scrophulosin, sed audacia est medicorum, qui morbum aliquem certo pro remedio habent contra morbum, qui non adest.

Inter dyscrasias, quae tineae subjacent, scrophulosin primum tenere locum, nemo negabit, si causas utriusque inter se comparat, et casus illos contemplatur, ubi vigente tinea scrophulosis (dicta interna) evanuit, peculiarem vero efflorescentiae formam scrophulosis certé non gignit.

Primum enim scrophuloseos formae ita inter se differunt, ut vel omnes fere chronici morbi infantum ei adscribantur, et facile est intellectu, efflorescentiam cutis, si infantem plethoricum, ceterum vero sanum corripit, multo aliam nobis praebere faciem, quam in infante, in quo scrophulosis altum jam acquisivit gradum, ubi cor-

poris humores pravis nutrimentis, domiciliis vestibusque valde depravati sunt, et, ut veterum verbis utar, maxima laborant acrimonia. Fluidum quoque in tinea secretum tum acre sit et in partes, quas tangit, peculiarem habeat effectum necesse est.

Tum vero cutis ipsius conditio gravissima, in formandis variis efflorescentiis. Hoc praecipue in scabie observare licet, qua nobis saepe occasio est totam familiam laborantem videndi, ubi, quanquam in omnibus malum ex eodem fonte ortum duxit, pater, cute forti et arida obductus, eam nobis scabiei formam ostendit, quam papuliformem vocamus, mater, cute teneri et pallida praedita, vesiculis laborat, in infantibus vero pastosis et plethoricis mox pustulae formantur iis similes, quae nomine Ecthymatis notae sunt. Ita sine dubio in tinea quoque res sese habet, ubi praeterea varia irritamenta accedunt.

Praeterea syphilidi autores magnam adtribuunt partem ad constituendam tineae malignae formam, et, quamquam negari non potest, tineam in homine, qui lue universali laborat, aliam nobis praebere faciem, quam in sano, attamen rarissime tam peculiarem sese ostendet, qua sola jam, syphilidem quoque universalem adesse, concludere possimus. Symptomata enim syphilidis pathognomica, forma efflorescentiarum rotunda, rubor cupreus stricte circumscriptus, peculiaris nisus altius penetrandi et cet., propter cutis conditionem, et quod capillis obtecta est, raro in tineis discerni poterunt, excepta

exulceratione, qua partes corroduntur, quae vero minime syphilidi tantum propria est.

Ex causis igitur atque signis, quae in aliis corporis partibus invenimus, cognitio dyscrasiae, quae tineae subsit, haurienda est.

Egregie hanc tinearum varietatem Wichmann describit nomine serpiginosae (1), eamque discernit ab ea forma benigna, quam crustam lacteam vocat (impetigo larvalis Biett, porrigo larvalis Willan) (2).

Crustam serpiginosam, dicit Wichmann, rarius oriri ex vitiis diaeteticis, quam ex dyscrasiis parentum vel nutricum, raro inveniri sparsam, quoniam celeriter sese extendat, pustulas esse minores (magis serpiginem (3)

---

(1) Ideen zur Diagnostik. I. Bd.

(2) Crusta serpiginosa a Wichmann iis praecipue efflorescentiis adnumeratur, quae faciem vexant, sed, sicut impetigo ad capillos adscendit, ita et forma illa maligna cranium occupat.

(3) Serpigo (herpes) et miliaria secundum recentiores vesiculas nobis ostendunt, quae rumpuntur et mox exsiccantur, sine exulceratione. Hoc igitur sensu tineae malignae non est similitudo cum herpete vel miliaribus. Si vero contemplamur, veteres herpetis nomine ad eas praecipue efflorescentias significandas usos esse, quae serpendo penetrandoque usque ad ossa vorant (Celsus), vel quae serpunt per summam cutem (Actuarius), negare non possumus, herpetem veterum optime respondere crustae serpiginosae. Similitudinem vero cum papulis miliaribus Wichmann sine dubio ex magnitudine efflorescentiarum hausit, quippe quae propter fluidi acrimoniam fere simulac ortae sunt, rumpuntur, et raro magnitudinem pisi assequuntur. Ideoque materia raro accipit colorem plane purulentum, qui in pustulis tum demum oriri solet, si jam per aliquod tempus steterunt. Qua re similitudo etiam major fit cum vesiculis miliaribus.

vel papulas miliares) crustam ex iis ortam tenuiorem inveniri et magis fuscam et luridam, fluidum secerni acre et rodens, pusillos propter ingentem pruritum ad scabendum irritans, et vicinas partes, quas tangit, rubefaciens.

Praeterea Wichmann recte monet, crustam serpiginosam, praeter caput plerumque etiam alias corporis partes corripere, et re vera raro in illis locis cutem sanam invenimus, ubi plicae formantur, et secretio cutis etiam in normali conditione major est, praecipue circa partes genitales et anum, ubi, si affectio syphilitica adest, raro desunt condylomata, vel alias variae intertriginis formae.

Tinea modo descripta sine dubio contagiosa est, praecipue si syphilis ei subest. Sed et in ceteris speciebus, in iis saltem, ubi massa fluida secernitur, contagium omnino negare non possumus. Impetiginis v. c. secretum, quamvis initio mitissimum et innoxium, postea sive ex constitutione aegroti prava in pejus versum, sive quod diu haeret sub crustis et ita corrumpitur, acre fieri potest, tum cutem, ubi tangit, rodit, itaque si dispositio ad impetiginem jam adest, hanc quoque proferre potest. Itaque non mirabimur, quod Alibert casum referat transpositionis crustae lacteae (tineae mucifluae) per contagium, neque quod Willan non dubitaverit, porriginis varias species contagiosas habere, quanquam demonstrationem contagii tineae furfuraceae (et alopeciae) nobis adhuc debet.

Si magna ad aliquam cutis eruptionem adest prae-

dispositio, unumquodque irritamentum, vel exiguum, eam producere posse, nemo negabit, quum, ut exemplum afferam, emplastrum cantharidum, quamvis plerumque bullas provocet, infantibus pastosis applicatum, saepe pustulas producat impetiginosas.

II. EAE TINEAE SPECIES, QUAE CAPITI PROPRIAE ESSE VIDENTUR.

Duo potissimum tineae genera hoc loco tractanda sunt, quorum analogon, nisi fortuito nimis sese extendant, in ceteris corporis partibus non invenitur, peculiaris nempe species tineae granulatae, et tinea favosa.

1. Tinea granulata.

Inter capillos surgunt pustulae exiguae, magnitudinem pisi raro assequentes, colore albido et paullulum lurido-flavescente, forma magis coni quam semiglobuli, ex quarum apice pilus provenire solet (1).

Mox vero pustulae rumpuntur, partim sponte, partim quod aegri pruritu vehementi coacti scabendo eos turbant, et massa fere pellucida, viscida effunditur, tanta vero copia, ut crines in circuitu madeant et conglutinentur. Crustae exiguae e fusco griseae a cute solvuntur, et singulae hic et illic pilo quasi granula irregulari forma adhaerent.

Vehementi pruritu aegroti solent vexari, sed partes

(1) Num hae fortasse Achores veterum sunt?

scabere non audent, quod plerumque magnus ex eo oritur dolor. Ingens plerumque pediculorum copia inter crines sedem habet et molestias auget.

Simulac vero ruptis pustulis capilli madere incipiunt, odor ex iis oritur valde ingratus et acer, qui odori porri haud dissimilis est (1).

Cutis subjacens quanquam valde inflammata et irritata, exulceratione non deletur, neque depascitur, sed, servata munditie secretio mox desinit, et defurfuratio solum per aliquod tempus remanere solet.

Pluries mihi jam fuit occasio, hanc tineae formam observandi, sed hucusque tantum in puellis duodecim vel sedecim annorum, et, quod memoratu dignum mihi videtur, in plurimis menses vel cesserunt, vel non apparuerunt. In omnibus vero crines fusci et conferti erant, ita ut plicae polonicae speciem prae se ferrent. Omnibus in casibus occiput praecipue laborabat, et pustulae peculiares supra descriptae singulae inter capillos conspiciebantur. Cutis in ceteris corporis partibus sana repperiebatur.

---

(1) Hanc tineae speciem porriginis nomini ortum dedisse, credo, nam in ceteris formis odor peculiaris non invenitur, quum efflorescentia in iis vel omnino non redoleat, modo eundem odorem nobis praebeat, quem pus exsiccatum, modo autem fluidum si diu inter crustas haesit et in putredinem quasi abiit, nares vario modo afficit. Si igitur nomen „porrigo" pro aliqua specie adhibeatur, nulla esse potest, nisi tinea modo descripta. Granulatam ea ex causa nuncupavi, quod jam auctores Cazenave et Schedel ei hoc nomen dederunt, licet eam cum impetigine sparsa confuderint.

Tineam modo descriptam peculiarem nobis praebere speciem, ex symptomatis supra laudatis satis liquet, et cum duabus tantum tineae formis similitudinem habet, cum impetigine nempe granulata et cum crusta serpiginosa.

Impetigo granulata, quacum Cazenave et Schedel eam confuderunt, uti jam monuimus, plane respondet impetigini sparsae, si ceteras corporis partes occupat, et nomen accepit ex symptomate, quod ex peculiari crustarum impetiginis conditione oritur, quippe quae fragiles sunt, et facile singula granula demittunt, quae crinibus sese adhaerent. Hoc vero non solum in impetigine sparsa sed etiam in figurata observatur. Similitudo igitur inter impetiginem granulatam et porriginem symptomate modo nititur minoris momenti, discrimen vero in iis magnum est. Nam et pustulae alium nobis praebent adspectum, quum in impetigine magis flavae sint et globosae, in porrigine vero luridae, albidae et coniformes, et crustae in impetigine ex flavo-virides, in porrigine vero sordidae sint et fuscae. Praeterea crines in impetigine non madent, neque conglutinantur, odor peculiaris deest, pruritus et dolor non tam vehementes, et infantes magis ea vexantur quam adulti. — Auctores supra laudati contendunt, pustularum centrum semper crine perforatum esse, quod neque affirmare neque negare possum, quum in crinibus tam confertis, ut hoc observarem, mihi non contigerit. Si vero res ita sese habet, aliud hoc erit argumentum, quo impetiginem a porrigine discernimus, et eo

magis credere coacti erimus, porriginem esse efflorescentiam cuti cranii propriam.

Cum crusta serpiginosa porrigo quidem congruit quoad pustularum formam et magnitudinem, sed quoniam in illa granulatio, tanta fluidi secretio et odor porri desunt, quod praeterea in porrigine cutis exulceratione non deletur, neque crines delabuntur, magnum inter eas discrimen cernimus. A trichomate mox discernitur, quod inferiores capillorum fines solum laborant, et decursus mali benignus est.

2. Tinea favosa.

Haec tinearum species, quae jam veteribus nota erat, et nomen accepit a similitudine, quam habet cum favis apium, certis signis a ceteris formis mox discernitur.

In iis enim locis ubi crines e cute proveniunt, maculae observantur valde exiguae, e fusco flavae, quae pili singuli radicem circumdant. Cutis ipsa eo loco prominere non videtur. Adhibita autem lente, mox discernitur impressio centralis, ex qua pilus provenit. Haec impressio in dies crescit, et colorem flavum amittit, ita ut annulo e fusco flavescente circumdata sit. Ubi vero annulus conspicitur, cutis aliquantulum prominet, et sic vallis quasi formatur, in cujus medio pilus plantatus esse videtur. Annulus vero ipse in dies colorem accipit clariorem, quippe qui ex fusco transeat in flavum, e flavo in candidum. Materia, quam annulus continet, primum fluida postea sicca evadit, et cum sulphure pulverato vel polline plantarum maximam habet similitudinem.

Circa annulum halo conspicitur magis minusve rubens, pruriens et dolens, et cutis in eo postea defurfurari solet. Pilus pustulae valleculam perforans initio jam magis laxe cuti inhaeret, et facile extrahitur, quo facto bulbum tumefactum et in media inferiore ejus parte punctum nigrum conspicere licet. Ceterum pili vel sponte delabuntur, vel si remanent, tenuiores fiunt et colorem accipere solent magis albidum, ita ut lanugini similes fiant.

Annuli superficies initio glabra postea inaequalis evadit, quod epidermis eum obtegens vario modo rumpitur, et hoc modo crustae oriuntur, quae formam annularem servant, si intactae remanent, et semper a cute circumjacente strictis limitibus separatae sunt. Speciem enim prae se ferunt, ac si ex profundo cutis ortae sint, et rupta epidermide, provenerint, vel si ex cute pars annularis exscissa et in hunc sulcum impositae sint.

Depressio illa centralis, ubi hucusque cutis sanum tenebat colorem, nunc quoque squamulis obtegitur, ita ut crusta non amplius annuli, sed disci formam accipiat, cujus centrum semper vero depressum maneat.

Post aliquod tempus crustae, quod partim solvuntur a cute, partim squamulis obteguntur, irregularem magis accipiunt formam, et postea remanet illa species tineae, quam jam supra descripsi exitum illarum tinearum, quae ex squamulis, vesiculis vel pustulis originem duxerunt, neque discrimen aliquod statuendum est, nisi quod cutis

crinibus magis orbata esse solet, unde fit, ut, defurfuratione cessante cutis valde glabra et nitida conspiciatur.

Pili modo renascuntur, modo cutis remanet nuda. Primo in casu saepe alium habent colorem, quam pristini.

Decursus tineae favosae descriptus reperitur, si favi singuli inveniuntur, et nobis illam tineae formam repraesentant, quae a Willan porrigo lupinosa, a Biett autem favosa nominatur, et ab illa forma discernitur, quam porriginem scutulatam nuncuparunt.

Porrigo scutulata Willani (Ringworm Angl.), respondere magis mihi videtur crustae serpiginosae, quam efflorescentiae favosae, quum ex achoribus eam ortum ducere contendat; secundum Biett porrigo scutulata nil est, nisi favosa, in qua vero singuli favi non sparsi caput occupant, sed conglomerati sunt et confluunt, ita ut eandem differentiam inter eas inveniamus, quae est inter impetiginem sparsam et figuratam.

Pustulae enim favosae oriuntur in maculis rubris, quae circularem plerumque obtinent formam. Peripheriam harum macularum (plaques) majori numero occupant, quam centrum, quo fit, ut, si crescunt in circuitu, confluant, et crassiores forment crustas, quam in medio. Ceterum et pustulae et crustae eandem habent conditionem, quam in tinea favosa invenimus, nisi quod crustae, quum confluant, non tali gaudeant regulari forma circulari.

Hoc modo igitur singulae cranii partes, in quibus crines rariores sunt et lanae similiores, crusta quasi an-

nulo circumdantur, in cujus circuitu postea, si crustae delabuntur, novae apparent pustulae, ex quibus iterum crustae formantur, ut inde annulus recens oriatur, qui priorem includit. Hoc modo illi circuli crescunt, et diametrum assequi possunt unius vel duorum pollicum. Cutis ubi pustulis crustisve non obtecta est, simul defurfurari solet.

Si vero plures circuli adsunt, confluere solent, et postea evanescere, ut tum cranium ubique tectum sit crusta albida crassa et sicca, ex qua singulae lamellae solvuntur, et in circuitu tantum cranii capilli remanent.

Quamquam huic tineae favosae confertae descriptioni consentire coacti sumus, minime vero speremus, formam illam circuli tam invenire regularem, ut ex hac re discrimen constitui possit inter tineam favosam et scutulatam. Lubenter quidem credimus, si multi favi unum locum cutis cranii occupaturi sunt, maculas iis praeire rubras, et in circuitu majores pustulas et crustas formari (quum enim favi cutem alte corripiant, facile sanguinis circulatio iis turbari potest, quo fit, ut in centro minor affluxus, ideoque minor secretio sit, quam in peripheria); plerumque tamen pruritus tali modo aegros vexat, ut scabendo pustulae et crustae mox turbentur, et raro circulos illos conspicere liceat. Quo magis conferti sunt favi, eo celerius crustae formantur, et ita fere semper irregulares, ut vix illa impressio centralis in iis observanda sit. Cognitio hujus tineae hoc in casu, nisi fortuito ex-

stat pustula vel crusta singularis, non raro valde obscura est.

Decursus tineae favosae, in qua cutis tam profunde destructa est, maxime chronicus esse solet. Crustae cuti firmiter adhaerent, eique quasi impressae sunt. Tarde squamulis solutis tenuiores fiunt, et sensim sensimque a partibus subjacentibus elevari videntur, quo facto omnino delabuntur, cutemque relinquunt candidam glabram, pilisque orbatam. Si autem in priori stadio a cute solvuntur, exulceratam hanc invenimus, et vel statim crustae iterum formantur, quae talem fere prae se ferre solent speciem, uti in crusta serpiginosa, vel novi apparent favi, qui eundem servant decursum, vel ulcus crescit, et partes vicinas destruit, (ulcus fit phagedaenicum).

Idem invenimus, si tinea favosa infantes corripit plethoricos, et pastosos. Magna ichoris copia sub crustis secerni, et pediculorum ingenti numero foveri solet, unde crustae rumpuntur, et fissurae atque ragades formantur, e quibus sanies profluit odore foetido et acri. Haec illa tineae forma esse videtur, quam veteres exulcerantem nominarunt. Integumenta cranii usque ad os destrui possunt. Aliis in casibus vero sine fluidi secretione crustae altius descendunt, et partes destruunt, quo fit, ut tinea cum lupo exfoliativo habeat similitudinem, in quo partes desquamatione et resorptione evanescunt. Si vero res ita sese habet, crustae tineae favosae ita jam mutatae esse solent, ut certo dicere non possimus, num sit tinea favosa an crusta serpiginosa.

Et infantes et pueros tinea favosa correptos videmus, praecipue vero eos, quorum habitus ejusmodi est, quem scrophulosum torpidum vocant. Contagio favos ab altero in alterum facillime transferri posse, auctores omnes consentiunt, sed de dyscrasia speciali, quae iis subest, nihil scimus. Scrophulosae nempe dyscrasiae eos adscribere coacti sumus, quippe cujus symptomata rarissime desunt.

Praeterea nobis non remanet dubium, tineam favosam peculiarem esse cutis morbum, qui folliculos tantummodo eos corripit, e quibus crines oriuntur, si symptomata ejus contemplamur. Non solum enim jam initio pustula, quamvis exigua, semper in media parte pilo perforatur, sed in nulla alia tinearum specie capilli ita mutantur, et tam constanter delabuntur, nisi fortasse excipias crustam serpiginosam, ubi, si altum acquisivit gradum, cute erosa pili etiam in lanuginem quasi verti et delabi solent.

Contra hanc sententiam fortasse argumentum proferri possit, crines saepe omnino regenerari; si vero consideremus, in infantibus crinium numerum in dies augeri, illud argumentum plane vanum videtur, et si hocce non ita sese haberet, omnibus notum est telam corneam, ad quam pili quoque pertinent, facillime regenerari, et abnormi quoque modo oriri posse. Ungues, quibuscum pili optime comparantur, tum etiam regeneratos viderunt, postquam phalanges, in quibus sedem habuerunt, plane remotae erant.

Praeterea constat, tineam vix vel omnino nunquam sanari, nisi evulsis vel alio modo remotis crinibus iis, qui medium pustulae perforarunt.

Hoc modo tinea favosa a ceteris speciebus facile dignosci potest, pustulas enim illas, favis similes, nulla in alia specie invenimus, et, quod ad crustas attinet, cum impetigine et crusta serpiginosa Wichmanni solum commutari potest, praecipue si formam illam circularem cum impressione centrali jam amisit.

Crustam vero tineae favosae semper firmam invenimus, et structura lamellosa praeditam, dum in impetigine multo minus cohaeret, et in hac sicut in crusta serpiginosa, granula magis solvuntur irregularia; color in tinea favosa ex fusco abit in flavum, et ex hoc in albidum (colorem stramineum); in impetigine ex flavo viridis est, et in crusta serpiginosa luridus invenitur.

Praeterea peculiarem odorem tineae favosae adscribunt, odorem nempe urinae felinae (Alibert); equidem nunquam observavi, tineam favosam multo aliter olere quam ceteras, in quibus crustae et fluidi copiosa secretio inveniuntur, et si in aliis libris legitur, urinam aegrotorum illum nobis praebere odorem, in aliis iterum, huncce tum modo inveniri, si aegroti herbam jaceae sumpserint, non dubitamus odorem in tinea favosa peculiarem plane omittere.

VITA.

Natus sum ego, Henricus Overkamp, Rheinae, Guestphaliae oppido, anno hujus saeculi undecimo, patre Josepho et matre Christina, e gente Schulz, quorum praematura mors multo acerbius me tetigisset, nisi patris soror materno amore multaque cura parentum in me officia suscepisset. Fidem confiteor catholicam. In progymnasio Rheinensi primis literarum rudimentis imbutus adii gymnasium Monasteriense, quo derelicto scholam chirurgicam, t. t. directore Ill. Wutzer florentem, per quatuor semestria frequentavi, simulque ineunte hyeme anni MDCCCXXIX testimonio maturitatis instructus, civibusque academicis in facultate philosophica adscriptus, hisce interfui praelectionibus: de logice et psychologia Ill. Esser, de physice Ill. Roling, de chemia Beati Bodde, de botanice et zoologia Beati Roedig. Anno MDCCCXXX Dusseldorpium petii, ibique usque ad annum MDCCCXXXIV Chirurgi militaris munere functus sum. Tempore paschali ejus anni Bonnam me contuli, ibique a Rectore magnifico Ill. Brandes in numerum civium academicorum receptus, et ab Ill. Mayer t. t. decano in Album inscriptus sum.

Bonnae per annum et dimidium hasce audivi scholas: botanicen pharmaceuticam apud Ill. Nees ab Esenbeck, pathologiam et medicinam forensem apud Cel. Albers, chirurgiam, artem fascias rite applicandi et anatomiam chirurgicam apud Ill. Wutzer, therapiam nec non cerebri physiologiam et pathologiam apud Ill. Nasse, artem obstetriciam, morbos mulierum apud Ill. Kilian, qui et in phantomate me exercuit. Scholas clinicas audivi Ill. virorum Kilian, Nasse et Wutzer.

Ineunte hyeme anni MDCCCXXXV hanc almam musarum sedem adii, ubi a rectore magnifico Ill. Busch in civium academicorum numerum receptus et a decano spectatissimo Ill. Mueller inscriptus exercitationes clinicas frequentavi virorum Cel. Barez, Ill. Busch, Ill. Juengken, Ill. Rust, Cel. Truestedt, Cel. Wolff. Praeterea Ill. Mueller disserentem audivi de anatomia patholog a.

Quibus viris Illustrissimis et peritissimis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Medici est, mortem, quam impedire non potuerit, mitiorem quidem reddere, nec tamen accelerare.
2. Necrosis nunquam ostitidis exitus.
3. Pars necrotica, nisi ab osse jam soluta, non removenda est.
4. Inflammatio chronica nunquam mera.
5. Emeticum est antiphlogisticum.
6. In morbis chronicis diaeta omnibus medicaminibus efficacior.